

hacque determinata et ordinata, opus est ut agatur, cum in prospera valetudine, tum in morbo; et exinde resistentia quidem varia est, semperque causae efficienti proportionalis (§. 20.): invasiones autem et exacerbationes morborum, incrementumque et status ac decrementum eorum, et ipsae concoctiones et insuper judicationes ac solutiones (§. 16.), temporibus certis, ac diebus determinatis perficiuntur (§. 15.), si nemo quidquam eorum perturbet. Ex quorum minima perturbatione (§. 22.) difficultas morborum facile emanat, eorumque in alium conversio, et diurnitas, et illud adhuc, quod his multo deterius est, nempe mors, si quis haec omnia pessime pervertat, et una cum iis totum systema motuum, quod est natura, ejusque operationes saluberrimas.

§. 27. Hoc igitur modo causam hanc efficientem tollit natura, quippe omnium motuum potentia (§. 15.), scilicet bene antea eam subigit, bene etiam digerit, et e corpore eliminat facilius quam oratio mea emphatice id exprimere possit (§. 16.) (d). Ea autem omnis expulsio et ablatio efficientis hujus causae,

F

vo-

---

(d) Sydenh. de variol. regular, p. 160. id. ib. d. dysente. I, 203  
Hume. L. I, p. III, sect. 1, 2. — 6.